DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,

QUAEDAM DE

FEBRIBUS MALIGN

COMPLECTENS.

AUCTORE ALEXANDRO TAYLOR.

PROŒMIUM.

" Αἱ μεταβολαὶ των ὡρέων, μάλιστα τίκτουσὶ νοσήματα, καὶ εν τῆσιν ὥρησιν αἱ μεγάλαι μεταλλαγαί ἢ ψῦχιος ἢ θάλψιος, καὶ τ'αλλα κατα τον λόγον ὅυτως."—Hipp. Aphor. I. § 3.

I. Omnis aevi historia, morbos pestilentes generi humano semper contigisse et hostes infestissimos et admodum feroces et populabundos, satis superque probavit. Hi, statu ingravescente, formas quamvis pulchras depravant, juvenesque viribus fretos familiariter occupant, et saepe cita morte totas familias manu saevissima sine vestigio rapiunt; reveraque etiam necem ipsam interdum om-

-is totius regionis incolis minantur. Ac
-am ars sacra Apollinaris, ex fati fatibus
-ros eripere, haud ipsa valet. Hi quoque
-ssimi consilia ducis saepissime morbi
-santur; militesque proelio pene invicti,
-qui

> "Nec virtute resisti,
> Nec telis armisve potest,"

-entiae victimae adversis oppressi vulne-
-as succumbunt. Tales non captivo infelici salutem salutatores afferunt; sed carceris conferti maleque ventilati horrores pericula que pervalde exaugent.

II. Horum morborum luctuosissimi sunt Pestis, Febris flava, et Typhus gravior. Tractare hos nunc breviter conabimur. Ex his febribus aliqua campum satis amplum sane exhibet, sed hos nobis morbos consociare visum est, ob nexum qui inter eos subsistere videtur, ratione habita causarum excitantium et abditarum, progressus, rationis medendi et finium, sese indicantem, eosque sub nomine febris malignae exponere statutum est.

III. Hi enim tam inter se consimiles sunt

morbi, ut minus in genere quam in gra differre liquido constant. Sane sine du tamen, uterque notis propriis potitur, q unus ab altero internosci queat ; sed ex mutatione, habitu aegri, vitaeque ge praegresso, sol tura, ac multis aliis ca haec varietas fortasse oritur. Et levis Revera enim plurimae notae generales t morborum totum decursum pervadunt, qu affinitatem dilucide declarant.

IV. Ut propositum est, primo Typhi gravioris, Pestis, et Febris flavae historia describenda est ; et secundo, eos sub nomine Febris Malignae fert animus tractare, cum indicia tribus omnibus communia ac ea utrique propria notanda erunt.

PERPAUCA DE MORBORUM HISTORIA, ET CETERIS QUAE PERTINENT.

V. Signis horum curiose morborum inter se collatis, formam videntur consimilem ostendere, etiamsi, apud Nosologiam ejus, Clar.

...nus pestim in classe pyrexiae, et ordi- exanthemata, et typhum graviorem in eadem, sed ordine febris collocavit. ...mentis, summo honore Culleno insig. ...o, quae sequuntur, ratio collocandi haud ...no sat est.

Exanthemata*, secundum Cullenum, se- ...antum in decursu vitæ aliquem afficiunt; definito tempore apparent phlogoses. Sed aliquem e contrario bis aut ter saepiusve vita currente adoritur pestis; nec definito sed morbi tempore incerto, bubones et anthraces erumpunt. Pesti quoque haec indicia non semper contingunt nec propria sunt; nam in typho graviori et febre flava saepe accedunt, etiamque vero pestis nunc formam continuam, nunc remittentem et intermittentem, ut affirmat Eques Jacobus M'Gregor †, absumit. "In many cases," ut ille invenit, "there "were remissions, and in some cases, parti-

---

* Synopsis Nosologiae Method.

† Medical Sketches of the Expedition from Egypt to India.

" cularly of the Sepoys, there were perfect " intermissions."

VII. Febrium pariterque etiam continuarum ordo, non omnes formas, quae prodire solent sive typhi gravioris sive febris flavae, comprehendit; in iis enim, ut in peste, interdum urgent phlogoses; et typi modo continui, modo remittentes et intermittentes urgent. Hoc de febre flava probatum est Equite Jacobo M'Gregor *. " In a great many " cases," inquit ille, " there were remissions, " and some cases terminated in intermit- " tents;" et de typho graviori satis constat ex febribus de Copenhagen anno MDCLII, ab Bartholino †, usque Lugduni Batavorum ab Silvio ‡, expositis, quae paroxysmis quotidianis et tertianis comitatae fuere.

VIII. Quamobrem sat nobis constat ut typos consimiles hi morbi possideant; atque res ita se habens, quam necesse sit hos in ordine

---

* Medical Sketches, *ut antea.*

† Barthol. Histor. Anatom. Rar. Cent. II. hist. lvi.

‡ Prax. Med. append. Tract. X.

Nosologico omnibus notis et febrium continuarum et remittentium potito, collocare plane demonstrat.

DE TYPHO GRAVIORI.

IX. Haec ut species febris malignae definienda est, plerumque coeli frigidi ac humidi indigena; sed saepe tamen in regionibus calidis humidisque magna cum vi grassatur. Utroque in statu ex miseriis et squalore populi originem trahit. Ubi carceres vinctis, nosocomii aegrotis saginantur, aeris liberi perflatus munditiaeque omnium bonorum inopibus, ac onere dolorum oppressis qui et corpus et mentem gravant, typhus oritur, alitur, vigescit, et nimium cito, eheu! inquilinus sedium earum quas depopulata est sola superstit. In tabernis pauperum, regionibus in quibus munditia haud multum colitur, ubique servitium pathemata mentis gravia inducit, corpusque debilitat, typhus convivio lautissimo fruitur. Morbis coeli morbida haec in-

gluvies multum acuitur. De morbis pestilentibus hac ex causa ortis cujus vis non solum hominem, sed etiam pecora, feras, et pisces invasit, his verbis Virgilius mentionem facit:

> "Hic quondam morbo coeli miseranda coorta est
> Tempestas, totoque autumni incanduit aestu,
> Et genus omne neci pecudum dedit, omne ferarum,
> Corripuitque lacus, infecit pabula tabo."

Atque exemplum quoque Prosper Alpinus* in Alexandria occurrisse memorat. In his calidi febribus coeli, stadia non diu perstant indiciaque virium fractarum majus febricitantem premunt, quam iis quae locos frigidiores pervadunt. Calore quoque autem aeris aucto ventisque omnino dormientibus, haecce in pestem inveterascere veram et desinere dicuntur.

x. Ad hoc objectio fortasse fiat,—valde dubium esse si unquam febris communis continua in pestem degenerare possit; caeteroquin ullam regionem, ut Magnam Britanniam, per spatium centum et quinquaginta an-

* De Medicina Ægyptior. Lib. I. Cap. xiv.

norum aut amplius, vix desereret.—Respondeatur; eo ut effectum quod supra diximus produci queat, conditionem aeris quiescentem pravamque magno cum calore, cooperari oportet cum perflatu aeris per cameras difficili, squalore ac victu insalubri; quae in Britannia nunc pene plerumque ignota sunt. Notatum sit, sortem tempestatis in qua pestis Londinensis evenit raro communem fuisse, permagno calore, stagnatione aeris absoluta conjuncto. Haec, cum domos quoque confertas respicimus, et recordamur nullas iis cloacas esse quibus spurcitiem removerent, liquidissime demonstrant ad pestem generandum vel propagandum quam multum contribuere.

XI. Sane autem magno illo incendio Londini tam horrido quam salutifero, quod anno insequenti accidit, domos male ventilatas et confertas saevo furore consumenti, alia aedificia et sanitati et commercio aptiora ruinâ universâ resurrexere. Praeterea etiam, artibus paludes desiccandi et cultûs agrorum, coelum insulae Magnae Britanniae redditum esse multo majus salubre, nos con-

fiteri decet ; et aeque apparet, permagnas mutationes occurrisse, et quae aequo pede adhuc progrediuntur in sobrietate, prosperitate, munditiaque populi ;—omnia quae bona nostra *Politia* tam sana quam optime administrata effecta sunt. Haec omnia, ne hac in regione febris communis continua in pestem inveterascat, fortiter obstant, spemque alent ut si unquam pestis importata fuerit, vix aut ne vix quidem grassetur ; nam multi medici affirmarunt ut iis in terris quibus pestis indigena sit, mutatio coeli secunda, ventilatio, munditia, pathemata mentis excitantia, ut Spei Gaudiique, pestem in typhum comparativo mitem convertunt ; atque eadem febrem flavam multo minus innocuam reddent.

XII. Tres varietates typhi Armstrong * narrat, viz. Simplicem, Inflammatoriam, et Congestivam ; ac sub uno vel altero harum vel idiopathica vel symptomatica stat. Ple-

* Illustrations of Typhus.

rumque typum continuum, sed, ut supra diximus, interdum quoque remittentem aut intermittentem, quoad naturam causae excitantis, absumit.

DE PESTE.

XIII. Pestis nunquam nisi aëre calido et humido, ventisque non agitato, excitatur. Nota satis dignum est pesti Londinensis anno MDCLXV talem aëris fuisse sortem. Eques Robertus Wilson * narrat, pesti aërem humidum semper favere, dum ei aër vacuus et siccus non solum obstat, sed etiam medetur. Enumerantur tres species ab Equite Brooke Falkner †. 1. Vis cerebri et generis nervosi multum imminuitur, cum anxietate maxima, irritabilitateque ventriculi. Haec maxime timenda est. 2. Signa febrilia gravissima sunt. 3. Secunda specie mo-

---

* History of the Expedition to Egypt.

† Essay on the Plague, in the Edinburgh Medical and Physical Journal, Vol. X.

derata, tertia formatur, in qua omnia signa leviora minimeque periculosiora sunt. Bubones cito apparent, riteque suppurant, remediisque idoneis adhibitis, aeger paucis convalescit diebus, et ad pristinam sanitatem celerrime redigitur.

DE FEBRE FLAVA.

XIV. Quò febris flava accendatur, aëris temperie alta gradum septuagesimum ultra Fahrenheitii, opus est. Talis aëris conditio viscerum moras constanter nectit, praecipueque jecoris munera plurimum impedit. Aliis igitur signis typho graviori et peste urgentibus jecoris affectio prevalens, ut vomitus perseverus cutisque flavedo superadditur. Quanquam in temperie supra dicta maxima cum vi praevalet, tamen etiam in coelo minus calido existere reperitur, ubi pestis abundat. Hic, aliqua signa sibi propria perdit, et alia quae pesti sunt assumit. His-

toria ejus varietates ostendit, quae typho et pesti consimiles sunt.

xv. Ex supra dictis igitur, horum de morborum historia connexio intima, in mea quidem sententia, inter hos clare apparet. Hac cum opinione, in sectione proxima hujus Dissertationis Inauguralis, hi ut morbus unus sub nomine *Febris Malignae* tractandi sunt. Necesse non est omnes varietates, sed solummodo formas gravissimas morborum notare, simul atque signa quae maxime prominent quibus consentiunt narrare, ac quae utrique sunt propria advertere.

DE FEBRE MALIGNA.

xvi. Haecce saepius viros, quam faeminas ac infantes, et aetate florentes quam senio confectos, fere semper invadit, unde causis postea exponendis sigillatim, obnoxii fiunt, quales sunt dieta prava, fames, pervigilium, fatigatio sub sole aestivo et affectus animi graves. Modo formam remittentem, modo

continuam ostendit. Nunc signa diathesis phlogisticae, nunc summae infirmitatis, initio adsunt, reveraque etiam in quibusdam exemplis causae, eo usque moventes, vires convellunt ut mortem praesentem inducant. Febris subito maligna adoritur, atque functiones animales, vitales et naturales, magnopere perturbat.

Stadium Primum.

XVII. Prima accessione, omnes motus, sive qui animi jussu sive injussu perficiuntur, admodum languent et gravantur ; vires plus minusve franguntur cum syncope, vertigine ac sensus interiores et exteriores hebetantur. Mens pigrescit. Oculi hebescunt, aliquantum inflammantur et flavescunt ; etiamque scintillae ante eos volitant. Calor et frigus saepe vicissim urgent, et dum hoc cessat, ille remanet, et brevi tempore ultra naturam increscit. Dolores vagi primo capitis, sed postea abdominis et membrorum cruciant.

XVIII. Respiratio anxietate ac labore perficitur, suspiriisque intercluditur. Animae

expiratae subest odor molestus, foetidus ac suburens. Pulsus est celer et parvus, interdum plenus, durus, et haud raro intermittens, necnon arteriae caroticaeque temporales violenter micant.

XIX. Omnia secernenda supprimuntur. Lingua est albida et tremula. Ventriculo irritabilitas maxima, et praecordia dolent. Sordes subnigra et biliosa vomitu ejicitur, qui in febre flava magis vexat. Urina est parca, crassa, et biliosa, cum alvo astricta.

XX. Haecce stadio in primo febris malignae signa premunt, sed fine lethali jam propinqua ingravescunt.

Stadium Secundum.

XXI. Vires fractae deliriumque nunc potissimum urgent. Totum intremit corpus, et membrorum contractiones subitae accedunt. Maxima est ad syncopen proclivitas, quae omni motu multum intenditur, et aeger confuse murmurat, saepe oscitat, stragulorum fimbrias deducit, imaginesque captat. Ei vultus est tristis, modo pallidus, modo lividus,

horrideque solicitus, vix equidem verbis describendus. Pupillae interdum dilatantur et citissimè stupor lethalis festinat.

XXII. Actio pulmonis et cordis morbo increscente turbatur. Spiritu, cum gemitu et suspiriis, febricitans valde oppressus solicitusque fungitur, imo ab pectore emissis. Pulsus fit debilior ac citior usque ad centum ictus et quinquaginta aut sexaginta, quaque parte sexagesima horae; sed in moribundo intermittit et decrescit.

XXIII. Sitis insatiabilis est et lingua, os, labra ac dentes, sorde fusca, nigra et viscida obsidentur. Ventriculi et jecinoris plurimum quoque turbantur munera; et perpetuus materiae subnigrae vomitus, praecipue in febre flava, occurrit. Sedimentum nigrum et putridum demittit, urina alvusque fusa, nigrum, pessimè olens, injussuque animi reddit.

XXIV. Indicia nunc sese putrida patefaciunt. Sanguis dissolvitur, nigrum colorem sibi praefert, odoremque putridum exhalat. Ab ore, gingivis, dentibus, naribus, aliisque

partibus effunditur ; totumque fere corpus anthracibus, (praesertim peste) petechiis, maculis, et vibicibus obseditur, et flavedine cutis (praecipue in febre flava, tamen non semper), suffunditur.

XXV. Omnibus ita pene deletis functionibus, humoribusque ac partibus solidis resolutis, mors serius ociusve pro rata venit, simul atque omnia signa supra dicta plus minusve inveterascunt.

XXVI. Corporibus sectis febre maligna interemptorum, cerebri plus minusve membranae sanguine turgidae inveniuntur, interdum cum cruore effuso. Jecur magnitudine interdum augetur, interdum imminuitur, impleturque atra bile vesicula fellis. Oesophagus, ventriculus, et intestina notas nimiae incitationis adhibentia plurimis maculis gangrenosis foedantur ; et sorde intestina nigrâ, perfoetidâ et putridâ implentur.

XXVII. Si tamen morbo exitus salutaris habendus sit, signa omnia supra dicta inclinantur. Capitis et membrorum dolores quiescunt. Mens componitur, atque vis perci-

piendi et ratiocinandi redit. Oculi vigescunt, sudoreque molli equaliterque diffuso salutiferoque corpus madet. Imminuuntur sitis et calor febrilis. Expeditior fit spiritus, et pulsus est plenior, et mollior, et tardior. Lingua humida ac nitida; ventriculusque minus irritabilis fit. Alvus soluta est, et dejectiones colorem et odorem non pessimum ostendunt. In suppurationem interdum ineunt mitem glandulae parotideae et inguinales, crustaeque per totum corpus erumpunt.

DE CAUSIS EXCITANTIBUS.

XXVIII. ANIMUS fert causas febris malignae excitantes in tres classes dividere, scilicet, halitum ex hominibus vivis pestiferum; 2. Miasma carnibus plantisque putridis ortum; 3. Contagium.

XXIX. Harum de prima causarum, sententiam Hovardii * optimi et humanissimi cita-

* Howard on State of Prisons.

bimus. "If it were asked me," inquit ille, "what is the cause of this disease? I should "not answer, a want of cleanliness;"—"I "am obliged to look out, therefore, for some "other cause of its production. This, in "my opinion, arises from want of proper "ventilation, and the corruption of the "fluids. Our convicts are ironed, and thrust "into close offensive dungeons, and chained "down, some of them without straw or "other bedding, in which they continue in "winter sixteen or seventeen hours out of the "twenty-four, in utter inactivity, and im- "mersed in the noxious effluvia exhaling, "and not carried off, from their bodies."

XXX. Secunda causa quae febrem malignam movet, est miasma ex reliquiis animalium et plantarum putridis ortum, quae gasa naturae exitiosissimae atque valde sedantis exhalant. Miasma putridum quod ex carnibus oritur, eo ex plantis deducto perniciosius est. Febres malignae multi auctores oriri narrant, ex corporibus post praelium putrescentibus,

ut Galenus *. Forestus † febris malignae causam fuisse balaenam in littore corruptam memorat. Oppidis obsessis, cum magnae inter sese catervae congeruntur, et animalium plantarumque exuviae putridae accumulantur, febres pestilentes gignuntur earum instar quae Athenis ‡ et Romae || grassatae sunt. Historiae, febrium malignarum de caulibus putridis § plantaribusque paludum putrescentibus, exempla sunt. Sat notum est, paludum miasma his quisquiliis adjunctum febres malignas gignere, sed his non conjunctum febrem intermittentem communem excitare. Choava ¶ corrupta causa febris flavae Philadelphiae esse credebatur; quod tamen Chisholmius abnuit.

---

* De Feb. Differ. Lib. I. Cap. xiv.

† Observat. Lib. VI. Obs. ix.

‡ Diodor. Sicul. Bibliothec. Histor. Lib. XII. Cap. iv.

|| Tit. Liv. U. C. 291.

§ Roger's Essay on Epidemic Diseases.

¶ Rush's Account of the Bilious Remitting Fever of Philadelphia, 1794.

DE CONTAGIO.

XXXI. Hac de causa pauca dicenda sunt, in arenam enim descendere alienum a me existimo, quippe quia non est arbitrii nostri ullum novi adjicere, aut lites componere. Cognoscere sat est, paucos ex medicis hodiernis, pestem contagiosam esse dubitare. Jacobus M'Gregor Eques hac de re luculenter scribit, cujus verba sunt. " One of our medical " gentlemen persevered in an opinion, that " the plague was not contagious. He made " the first, and we sincerely hope the last " experiment of the kind, to determine this " question. Dr White fell a victim to his " own temerity."

XXXII. Multa exempla luctuosa typhi gravioris indolis valde contagiosae, opus est nostrae citare, in quibus, eam contagio ac nulla causa epidemica dimanasse, liquide probatur. Sat est unum exemplum notare, viz. febrem malignam quae in nave *Hanky* exarsit, tam omnibus medicis famosam, quae

non solum strage cladeque eas in navi corripuit, sed etiam qui ex aliis navibus commercium cum aegrotis tenebant; posteaque cum in terram importata esset longe lateque grassata est. Nostro vere judicio, impossibile est dicere quomodo haec febris sese extendisset, nisi operationem contagii sinimus.

XXXIII. Ex supra dictis, igitur, de febris flavae historia, et de nexu intimo inter eam et pestem et typhum graviorem, concludere fortasse haud absurdum est, eam etiam contagiosam esse. Id accidere locis in omnibus çerte in magno dubio est, febris enim flava Occidentalis vix notas indolis contagiosae ostendit. Licet nobis hoc explicare, quanquam adhuc ut morbum contagiosum aestimamus; nam ubi in coelo admodum calido accidit, vis contagiosa pervalde imminui, si non omnino deleri, videtur, quoniam, ut sic rebus stantibus, multis auctoribus assertum est contagium omnigenum penitus subrui. Quanquam res ita se habeat, ut invadit tamen coelum frigidius vim contagiosam exercet, typho et pesti similem: nam opinamur

haud dubium esse, febrem flavam Philadelphiae valde pestilentem fuisse. Apparet igitur pestem et typhum graviorem contagiosam esse, et febrem flavam quoque, nisi quum causae supra memoratae obstant.

XXXIV. Varii exitus sunt, per quos, ut sudorem, cutis halitum ac pulmonem, alvi profluviem, purem ac saniem, contagium e corpore febricitantis ejicitur. Contactu ac etiam per aëra dispergi videtur, nec vero late patet iter ejus exitiale, per aëra enim diffusum, perflatuque extenuatum et quasi dilutum, pene innocuum fit; haud secus atque pauxillum acidi aresenosi copia ingenti aquae mistum impune sumitur: Huc accidit, munditiem omnigenam, crebram stragulorum mutationem, et vapores acidos quoque contagium debellare.

DE CAUSIS PRAEDISPONENTIBUS.

XXXV. MULTUM variant causae, quae, ad febrem malignam subeundam, corpus proclive

reddunt, tamen ad duas referri species queant, scilicet, eas quae mente afficienda nocent, et eas quae per corporis organa generaliter agunt.

XXXVI. Primi causarum generis sunt duae, videlicet, affectus animi graves, ut timor moestitiaque, quae vires corporis imminuunt.

XXXVII. Prae omnibus timor fortasse magis animum deprimit, corporisque functiones imminuit et perturbat, et, ut Lucretius semper perelegans ait,

> "Ubi vehementi magis est percussa metu Mens,
> Concentire animam totam per membra videmus,
> Sudores itaque, et pallorem existere toto
> Corpore, et infringi linguam, vocemque aboriri
> Caligare oculos, sonere aures, succidere artus."

Moestitia quoque officio ejus tam efficaciter tamen lentius ac pedetentim forsitan fungitur.

XXXVIII. Nota dignum est, cum febres magnopere contagiosae urgent, eos quos spes et

fortitudo excitant rarius febricitare *, qui tamen moestitiae subjecti protinus in febrem incidunt.

xxxix. Secunda causarum species fatigationem praesertim sub sole aestivo, intemperantiam, pervigilium, et quoque somni nimium, evacuationes immodicas, frigus et famem comprehendit. Hae agunt libram salutarem corporis evertendo, quo fit ut facilius incitamentis omnibus patescat.

DE PROGNOSI.

xl. Si Pyrexia lenis ; et vires etiamsi fractae non multum exhauriuntur ; si mentis vires, et visus, auditus, gustus, et tactus, leviter solummodo comminuuntur ; et si aeger facile non laboriose nec solicite spirat, nec spiritûs foetor vexat ; et si pulsus firmus, mollis, paribusque intervallis ; si sitis mode-

---

* Rush's Account of the Bilious Fever, *ut antea.*

ratior, et lingua planior, et mundior, et humidior fit, et sordes non ore adsunt vel evanescunt; si urina copiosa, et sedimentum turbidum demittit, et alvus soluta ac naturalis, et si bubones cito apparent placideque suppurant, et putredo non evidens;—haec signa morbum ipsum non difficulter ferri, posseque aegro secundam valetudinem contingere, notant.

XLI. Sed e contrario, calor nempe corporis ingens, debilitas maxima; membrorum contractiones subitae; tremoresque graves linguae ac manuum; mussitatio; gemitus horrifici; typhomania; syncope; oculi rubri et flavi, et caligo; loquendi, spirandi, et devorandi difficultas; pulsus exilis, vixque enumerandus; sordes subnigrae et perfoetidae, dentes, linguam, et os obsedentes; singultus, vomitus niger saepius peste, febreque flava urgens; carbunculi gangrenosi, et petechiae lividae, et vibices purpureae; sudores et diarrhoea colliquativa, et alvi dejectiones ac

urina inscie ejecta; indicia sunt periculosissima, et exitum lethalem augurantur.

DE CAUSA PROXIMA.

XLII. De Febris Malignae causa proxima apud medicos multum disputatur. Febrem quidam in cerebro sedem tenere putant, quod directe per genus nervosum, vel a contagio absorpto et in sanguinem delato, afficitur; aliqui in inflammatione universa; cordis mobilitate contractionumque celeritate adauctis; spasmo cutaneo; vel materia morbida in sanguinem absorpta genus universum irritante, et multis aliis causis, constare.

XLIII. Sed causam febris malignae proximam in primis viis et visceribus vicinis quae concoctione juvant, vult animus credere. Haec, modo aliquo nobis omnino ignoto, per genus nervosum, laeduntur. Nunc congestione nunc inflammatione laborant, quae, ut postea exponendum est, sortem generis nervosi morbidam vicissim peraugent.

XLIV. Causae quae homines ad febrem malignam proclives reddunt, praecipue, inducendo ventriculi debilitatem, agere videntur. Timori et moestitiae anorexia semper adest, in praecordiis gravitas, et interdum vomitus. Fatigatio sub sole aestivo, pervigilium, et fames, aliaeque causae supra dictae, ventriculum prae omnibus visceribus infirmant; et sat notum, ut ventriculi, indicia febris malignae, affectio precedat. 2. Morbi, a causa generali provenientes, in partes jam debiles aut morbidas, facilius incumbunt. 3. Anni tempestate ac sorte coeli eadem qua viscerum mala ut jecinoris et dysenteria vexant, febris maligna occurrit. 4. Indicia inter sese et hujus morbi et ab initio ventriculi inflammationis et partium vicinarum affectûs morbidi, non multum differunt. Debilitas maxima, pulsus exilis, durus et chordae similis, ardor ingens, sitis insatiabilis, pervigilium, interdum delirium, signa ambobus communia sunt. Ventriculo et intestinis, etiam corpore post mortem patefacto, indicia inflammationis gangrenaque sunt. 5. Medicamen-

ta, quae in primas vias evacuando agunt, remedia longe utilissima, si enim adhibentur emetica et alvi purgantia, priusquam morbus firmetur, febris cursum leniunt, si non interdum omnino intercludunt.

XLV. Hacce sin fallimur theoria, signa febris malignae stadio haud provectiori, ut anorexia et vomitus, dolor et anxietas circa praecordia, et alvi perfoetidae et biliosae, ac fortasse pulsus celer et exilis, facillime explicanda sunt.

XLVI. A tali statu supra dicto, multa profluunt mala. Partes morbidae non muneribus solitis funguntur; ac humores secreti nunc copiosi nunc parci omnino sunt, et plurimum vitiantur. Ciborum concoctio penitus supprimitur, vel pessime sane geritur; ac materie putrescenti his omnibus ex causis nata, in primis viis retenta vel in sanguinem recepta, haud absimile est totam humorum massam paulatim corruptam iri, muneraque jamjam haud sana generis nervosi laesa, si non omnino deleta iri.

XLVII. Hoc fortasse signa explicare queat,

quae ut morbus sese provehit, affectionem gravissimam et cerebri et generis nervosi, ut delirium et coma, strabismum et loquendi et devorandi spirandique difficultatem, tremores tendinumque subsultum, ac signa etiam quae, cadavere secto, sese in cerebro ostendunt, ut conditionem membranarum turgidam, imo vero inflammatam, sanguinemque interdum intus fusum, indicant.

XLVIII. In exemplis quibusdam tamen evenit, ut nullo signo admodum gravi praecedenti, aegri subito corripiantur, ac sensu motuque voluntario, et in casibus aliqueis luctuosis omnino etiam vita privati, cadant. His, causae excitantes revera vim tam sedativam possident, ut subito et vehementer, tanquam venenum, per genus nervosum in cerebrum agant, et functiones ejus funditus deleant.

DE DIAGNOSI.

XLIX. Cum res variae, in divisionibus hujus Dissertationis Inauguralis prioribus, curiose

perleguntur, sperandum est, parvam dissentionem eos inter morbos esse, omnibus liquido apparere. Simul quoque, ullum Diagnosin in morbis tam consimilibus, haud magni momenti proponere videatur; sed tamen ut omnes medici hodierni non in hoc consentiunt, sine dubio, notas aliquas quae ut putant dissimilitudinem veram constituunt, perpendere nos decet.

L. Multi auctores qui horum unum ab altero morborum dignoscere conati sunt, rem perfunctorius indagavêre. Typhum, ut coeli frigidi humidique indigenam, depinxêre; eamque tempestate calida penitus extingui, nullumque nisi typum continuum, nec varietates ullas unquam ostendere, affirmavere. 2. Pestem, quoque ut morbum, forma una solummodo potitum, tempestatis calidae et ventorum dormientium comitem, aestimaverunt; et signa maxime debilia, et anthraces quae hoc in morbo tam saepissime urgent, Diagnosin proprium semper iis sane praebuit. 3. Eodem etiam modo, febris flava, ut febris omnino remittens, juvenes et validos

prae aliis invadens, ac locis quibusdam solumodo grassata, tradita est.

LI. Quibusdam jamjam constet haud absimile est, ut hac in distinctione auctores toto coelo errent. Nam hi morbi, ut supra exposuimus, typos communes possident; sane enim, modo accedunt, modo remittunt et intermittunt. Causae morbis formam specialem moventes conferunt, si miasmate paludum, remittentem ceu intermittentem, et si materiâ animali et vegetabili putridâ et contagio, continuam, oriuntur.

LII. Nec hi vero morbi conditione coeli certa semper existunt. Modo typhus versus coelum calidius grassatur, atque signa graviora inde absumit; modo pestis sese in coelum frigidius extendit, et se in typho amittit; dum etiam quoque in terras calidiores serpens cum febre flava gradatim sese conjungit. Ex forma lenissima typhi, ad febris flavae gravissimam, catena haud interrumpitur.

LIII. Typhus basin omnium constituere nobis constat, et ea tribus varietatibus

simplici inflammatoria et congestiva potiatur, ut supra ostendimus ; pestis et febris flava formas quoque iis consimiles habent ; et si historiam harum solicite inquirimus, typhi, sub una vel aliqua ejus varietatum, vestigia consequi queamus.

LIV. Nec anthraces nec vomitus niger pestem et febrem flavam proprie dignoscunt ; illi enim morbidam conditionem pravamque viscerum Chylopoieticorum solummodo denotant. Ii sine dubio interdum in peste premunt, sed etiam quoque in typho et febre flava, haud rarissime adesse observantur. Ac aegri, qui vitam luxuriose et admodum ignave transeunt, anthracibus, ut dyspepsiae comitibus, saepe corripiuntur. 2do, Detectio causae vomitus nigri,—(eum, ex sanguine et vasis sanguineis resolutis, oriri, et, in statu eodem morbi qui haemorrhagias excitat, adesse), nobis sine dubio persuadet, ut in typho quoque et peste existeret, ubi partes fluidae ac solidae, interdum, aequo in modo, putrescunt et resolvuntur ; et quamvis febris flava, juvenes ac validos

prae aliis, aggredi fertur, tamen eos, nisi causis concurrentibus quibusdam supra enumeratis per quas vires franguntur, haud invadit.

LV. Maxima cum reverentia, putare inclinamur, hos morbos totum genus humanum invadere, simul ac *variola* singularem. His in locis, qui febri malignae haud multum favent, *typhi lenioris speciem* assumit ;—sic cum variola, hominem, corporis validi ac sani, qui aëre vacuo et frigidusculo fruitur, invadit, *formam discretam*, exhibet. Sed cum febris maligna, in locis calidissimis, insalubribus, maleque ventilatis, et ceteris antea dictis, saevit, *pestis* et *febris flava* fiet ;—et ita, cubiculo aegri male ventilato et nimis calido, medicamentis stimulantibus, variola, in *confluentem* cum omnibus sequelis luctuosis, eodem in homine, degenerabit. Tres hi morbi igitur solummodo in hoc differunt, ut unus plus altero inveterascat, et si inter stadia *variolae* diagnosin sinimus, tum ut existat *his morbis*, etiam necesse est.

DE CURATIONE.

LVI. EADEM de proxima lis causa febris malignae quoque praepositum curandi multum affecit. Aliqui, morbo ut incitationis gravissimae febri succurrentes, remedia evacuantia, dum alii, e contrario, ut magnae debilitatis, stimulantia omnigena inculcavere.

LVII. Infirmitatis morbi ab initio indicia, nonnullis medicis urgentia, sanguinis missionem et purgantia nocitura ostendunt; sed idoneis evacuantibus, debilitas magis fallax quam vera, utendo, apparet; nam revera plenior pulsus validiorque aliquando fit, et omnia virium fractarum testimonia fere omnino evanescunt.

LVIII. *De Sanguine Mittendo.*—Signis propriis febri malignae curiose perpensis, 1. Notas viscerum inflammationis morarumque gerentibus; 2. Capitis dolore et ad cerebrum sanguinis determinati indiciis; 3. Corporibus

sectis ; haec judicio nostro, inductione naturali, venaesectionem utilem fore demonstrant. Igitur haec magis sententia inter medicos plurimos prevaluit, qui usu morbi comperti hac de re judicare valde idonei sunt. Hac in phalange, medici artem Apollinarem qui exercûere, insignissimi collocantur*.

LIX. Praxi tamen huic, modificationes aliquae adsunt. 1. Initio fere morbi, aut intra horas post adortum paucas, sanguinis missio ullo tempore subsequente longe utilior est. 2. Sanguinis detractionem vero temperare oportet, habitu aegri antecedente morbique virulentia. Si robustus febricitans et validus est, sanguinis missione usque ad uncias quadraginta vel amplius, si e contrario debilis indirectaque infirmitate oppressus, parcius cautiusque utendum est. Sententiae, hac de

* Sydenham de Peste sive Febre Pestilente.—Mead's Medical Works.—Jackson's Treatise on the Fever of Jamaica.—Armstrong's Illustrations of Typhus, &c.—M'Lean's Inquiry into the Nature and Causes of the Mortality among the Troops at St Domingo.—Rush's Account of Bilious Fever, *ut antea.*

re partis medicorum haud mediocris, Clar. Leonardo Botallo * ita bene verbis prolatae sunt, ut ejus testimonium, hanc de sanguinis missione sectionem ad finem perduxerimus, subjiciendo †.

LX. *Purgantia* quoque medicamenta sine dubio utilissima sunt. Omnia fere febris malignae signa ventriculum et intestina multum affici; etiamque alvus putrida et olens,

---

* Sydenham de Peste sive Febre Pestilente, p. 192, eum citat.

† Ego ut uno verbo dicam, nullam pestem esse puto, cui haec non possit esse salutaris supra omnia remedia; *modo opportune et quantitate conveniente usurpata sit;* ratus eam aliquando inutilem inventam fuisse, propterea quod aut *tardius* aut *parcius* quam opus esset. (Quae experientia confirmaturus paulò inferius sic pergit). His observatis nemo rationis capax jure in his morbis vituperare missionem sanguinis potest, sed mirifice et tanquam divinum auxilium commendare, extollere et confidenter usurpare; quod ipse profecto ab annis quindecim facio. Ideo in morbis pestilentibus in obsidione Rupellarum et montibus Hannoniae abhinc quadriennium et Parisiis toto hoc bienno et Cameraci anno proxime acto in omnibus meis aegrotis (qui innumeri fuerunt) nullum praesentius ac salutarius reperi ipsa larga et tempestiva sanguinis missione.—Leon. Botall.

purgantia valde necessaria esse, hoc in morbo, demonstrant. Hac vero evacuatione, sordes foetida ac corrupta ejicitur, et ab vasis stimulus sic perniciosus, secernentibus tollitur, quae nunc officio sano liberius funguntur. Per sympathiam quoque, fluidae ad superficiem fortasse determinantur, ac multo efficacius citiusque si purgantia cum sudorificis commiscentur, atque ita, diaphoresis mitis ac sanifera totum fere corpus madeat. Multum sic calor decrescit, pulsus mollior, plenior, et minus inordinatus fit. Ineunte fere morbo, ait Dr Wade *, signorum accessum periculosiorum certissime purgantia prevenient, eorum praesertim quae putrida vocantur, et semper febricitanti conservabunt, et plerumque revera omnino medebuntur. Brevibus intervallis, morbo currente, cathartica administrare necessarium est; nam ejus ab initio ad finem usque, haud faecibus sinendum est intestinis accumulare.

* Wade on the Prevention and Treatment of Diseases in India.

LXI. Omnibus, *hydrargyri submurias*, purgantibus praeponendum est, praesertim cum *pulvere Jalopi* conjunctum. Intestina efficaciter evacuando, et in jecur actionem specificam exercendo, quod semper plus minusve sed maxime in febre flava turbatur, agit.

LXII. *Emetica*, praecipue sub febris initio malignae, valde efficacia sunt ; et secundum Johannem Pringle Equitem *, multosque auctores alios, morbum ea multum inclinant vel omnino percurant ; magnopereque praeterea effectus purgantium salutiferos adjuvant. Morbo tamen provectiori, fortasse non tam utilia nec tuta sunt, quia certe ventriculo, irritabilitas maxima, et vomitus, et inflammatio adest.

LXIII. *Sudorificis*, hodie, non multum hoc in morbo utimur ; sed primis viis proprie emundatis, sudor salutaris sua sponte erumpit. Interdum cum purgantibus *anti-*

---

* Observations on the Diseases of the Army.

moniales, et cum felici vero exitu, inculcantur.

LXIV. *Affusio frigida* multum justeque laudatur, nam in febrem malignam, praesidium valde semper valens, medendo, medicis reddidit. Haecce, calorem febrilem et stuporem tollendo, et somnum ac sudorem conciliando eliciendoque, convenit. Affusio frigida, primo febris malignae stadio, fortasse utilissima est: Toto corpore nudo aqua effundanda gelida est, usque dum dentes utriusque maxillae sese feriunt. Morbo tamen auctiori, cum debilitas, delirium, et calor decrescens urgent, corpus aquâ tepidâ spargere tutius est.

LXV. *Epispastica*, dolorem topicum coma et delirium interdum inclinando et removendo, fortasse quia sanguinis determinationem divertunt, multum juvant.

LXVI. *Hydrargyro*, usque ad ptyalismum concitandum, in febre maligna, utendum est. Si cutis flavedo signaque jecinoris plurimum turbati adsunt, cum eventis revera optimis Hydrargyrus interdum adhibuatur.

LXVII. Remedia ea sunt, quae jamjam recensuimus quibus medici precipue fidunt, sed nos quaedam alia inferiora notare oportet.

LXVIII. *Stimulantia*, quum infirmitas urgerit vera, saepe necessaria ac utilissima sunt. Ex his optimum fortasse vinum est; capsicumque plurimum quoque ventriculum sustentat ac roborat.

LXIX. *Tonica*, ut stimulantia, stadio febris malignae eodem vel provectiore quidem, inculcanda sunt. Efficaciora, cinchona, preparationes metallicae ac cortex cuspariae sunt.

LXX. *Antispasmodica*, post alvum bene solutam, tremores, membrorum contractiones subitas motusque hystericos levando, auxilium utilissimum reddunt.

LXXI. *Rubefacientia*, partibus corporis diversis, plantis pedum praecipue, ad vim vitalem excitandum, applicantur.

LXXII. *Opiata*, si delirium non multum urget, et persistent vigilia, saepe utilia sunt, et si cum sudorificis conjunguntur, efficaciora fiunt.

LXXIII. *Antisepticis* et *Refrigerantibus* valentissimis, cum haemorrhagiae, anthracis,

petechiae, aliaque signa putrida superveniunt, ut acidis mineralibus, vegetabilibusque, acido carbonico, liquoribus fermentescentibus, oxygenio, potassae chloride, utendum est. Tonica quoque, ut antea exposuimus, (§ 69.) atque enemata aceti, diluti inculcanda sunt.

LXXIV. Aegri cibum ac potum esse generis mitissime, ac aëris circulationem per cubiculum ejus liberam promoveri, stragulaque in lecto levia esse, oportet. Corpus cum aceto spargendo, multum febricitans refrigerabitur.

LXXV. Chirurgi, bubones anthracesque curare, est.

LXXVI. *Sequelae.*—Aër salutaris, exercitatio modica, ac dieta lautior, ac roborans saepius aegro omnino medetur; sed morbi lethales ut hydrops universa vel partialis, interdum superveniunt.

FINIS.